



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput LII. De Innovatione miraculi, quod aliquando contigera in dicto
Monasterio cum ardenti lumine supra pannum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

& quia ex defectu rigoris Monasteria & devotæ Congregationes , prout frequenter ad omnimodam spiritualis vitæ destitutionem patiatim soleant devenire , necessarium est , ut iste præfatus strenuus , & devotus Pater universis Monasteriorum Prælati in bonum ac perutile positus sit exemplar , quatenus & ipsi in rigorosa vita , qua suos subditos rexit , imitantes bravium æternæ felicitatis recipiant in mercedem , quòd si rigoris distractionem minùs exercuerint in subditos , causa fuit , quòd defluerent in vita spirituali , & ob hoc in horribili iudicij die certissimè ad futurum non solùm sua sed & subditorum peccata in pænis luant.

CAPUT LI.

De Innovatione miraculi , quod aliquando contigerat in dicto Monasterio cum ardenti lumine supra pannum.

Cùm miracula divina, quibus humanum genus ad melioris vitæ statum provocari potest, absque culpa nequaquam à scientibus taceri possunt, dignum duxi illud, quòd relatione devoti Confratris mei supradicti Monasterij, cui hoc contigerat, præsentibus tradere scriptis, nam ut in gestis S. Confessoris MEINULPHI legitur, cereus in se retortus & accensus supra nudum pannum, quo prædicti B. MEINULPHI sepulchrum opertum fuit, absque quolibet intermedio ponebatur, qui & neglectu cujusdam devotæ Canonissæ dicti sepulchri custodiam habentis per ardorem finem suum fecerat, nec idem pannus in aliqua ejus parte læsus apparuerat. Et quia idem miraculum ex eo quòd multis temporibus actum fuit, & heu quodammodo in quorundam hominum cordibus jamjamque vetustate temporis minùs veneratur, pius Dominus DEUS ad honorem B. MEINULPHI sui Confessoris volens aliquorum Fratrum dicti Monasterij, à quibus B. MEINULPHUS forsitan non satis honorabatur, ad devotionem & fervoris igniculum imò ad ampliorem sui Patroni venerationem excitare supradictum miraculum videlicet dei cerei combustionem supra pannum disposuit innovare. Nam præmemoratus Frater cui, quòd jam relaturus sum, accidit, Arnoldus Gallicus vocabatur, qui quodam

dam tempore postquam Missam suam celebraverat , & Sacristiam se exuturus jam intrare vellet, vidit à longe lumen ardens de candelabro lapsum jacere supra nudum pannum mensæ illius, de qua Sacerdotes ad celebrandas Missas sacris vestibus se vestire solent. Quid egit? Damnum timens tardo incessu derelicto festinavit ad locum, ubi hoc incendium erat, & lumen ardens supra præfatum pannum lapsum amovere sollicitans, putaverat enim ab incendio supradictum pannum omnino consumptum esse, sed ecce idem pannus absque ulla sui læsione aut combustionis signo reperitur; quique incendij locus ob miraculi magnitudinem à devoto tum temporis Monasterij Custode videlicet à Fratre Joanne Warburg in circumferentia ejus ac cum filis serièis nitidissimè cornatus & elaboratus fuit. O magnum stupendumque miraculum, quod nostris factum est temporibus, magnum inquam apud illos, qui B. MEINULPHUM, cujus pia intercessione factum hoc non ambigitur, magnum in cordibus suis habent. Idem etiam lumen, cujus ardoris vis ad hoc divinitus sublatus erat, ne supradicto panno noceret, usque ad hodierna tempora in dicto Monasterio reservatur de consilio cujusdam devoti Fratris: speraverat namque idem Frater quòd tale lumen, per quod ingens hoc miraculum factum, majoris aliquando utilitatis futurum esset, quod minimè impossibile creditur.

C A P U T LIII.

De Fratre, qui de sublimi cecidit, non læsus fuit.

Tempore, quo pistrinum lapideum in Monasterio B. MEINULPHI per sollicitudinem Venerabilis Prioris Arnoldi Huls jam magna ex parte constructum erat, & necdum in eo aliquod lobium factum, sed pro tribus fiendis lobijs unum super aliud cum nudis trabibus in quartum pedem ab invicem distinctis duntaxat fuerat præparatum, idcirco ut idem pistrinum eò citius utilitati, ad quam fuerat factum, deserviret, primò cum straminibus, absque intermixta gleba tegebatur, & dum ad hujusmodi tectum faciendum Fratres laborarent, unus ex ijs nomine Hugo ad hoc deputatus te gentibus supradictum ædificium stramina ministrabat, qui dum quadam vice in sublimi dicti ædificij sub tignis supra cumulum straminis staret,